

# ILLVSTRIS-

SIMI PRINCIPIS AC

DOMINI, D. FRIDERICI III. FELI-

cissimæ memoriæ, Comitisi Palatini ad Rhenum, Sa-

crici Romani Imperij Archidapiferi & Electoris, Ducis

Bauariæ, &c. in qua Celsitudo eius 26. Octobris, anno

1576. constanter, placidè, & piè in Christo ob-

dormiuit, de verbo ad verbum ex Cels.

E. Testamento desumpta.

## EX SINGVLARI MANDA-

TO ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AC DO-

mini, D. Iohannis Casimiri, Comitisi Palatini ad Rhenum, Ducis Ba-

uariæ, &c. Electoralis ad Rhenum Palatinatus constituti Legati, die

25. Februarij, anno 1577. typis excusa, & ex Germanis

co in Latinum translata

sermonem.

I. Pet. 3.

Estote semper parati ad respondendum cuilibet petenti rationem  
eius spei, quæ in vobis est.

Rom. 10.

Corde creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem.

Matth. 10.

Quisquis confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego  
eum coram Patre meo, qui est in cælis: quisquis autem negaue-  
rit me coram hominibus, negabo eum & ego coram Patre meo,  
qui est in cælis.

---

M. D. LXXVII.





IOHANNES CASIMIRVS.  
COMES PALATINVS AD RHE.  
NYM, DVX BAVARIAE, &c.

Pol. 611 763 add. 4

P R A E F A T I O 3

**I O H A N N I S**  
**C A S I M I R I D E I G R A T I A**  
**C O M I T I S P A L A T I N I A D R H E N V M**  
Ducis Bauariae, &c. Electoralis ad Rhenum  
Palatinatus constituti  
Legati.



*V*ANQVAM ILLVSTRISSIMVS  
& laudatissima memoria Princeps Palati-  
nus Fridericus Elector &c. carissimus meus  
Dominus & Pater cum toto Electoralis suae  
gubernationis tempore, tum praecipue anno  
1566. in comitiis Augustanis, vbi ab eo ratio  
Christiane confessionis ac Fidei in edita ab ipso Carechesi & or-  
dinatione Ecclesiastica comprehensa postulata fuit, satis super-  
que demonstravit & publice restatum fecit, se neque priuatum vl-  
lam aliam amplecti & probare, neque in suis Diocibus consti-  
tuisse Religionem, quam eam, quae Propheticae & Apostolicae  
doctrinae per omnia sit consentanea & conformis, quaeque ab  
Augustana etiam Confessione, & quae huic adiuncta est, Apo-  
logia, quomodo subscriptione sua omnes imperij ordines, qui eam  
amplectuntur, eandem Naumburgi comprobauerunt, non dis-  
sentiat, nec cum ea pugnet: Tamen postquam illius ex hac  
misera vita discessum, partim ipse coram audire necesse habuit,  
partim etiam aliunde magno cum animi dolore cognouit, esse ali-  
quos, qui, licet iniuria, affirmare & spargere non vereantur, ip-  
sum ante obitum suum ab agnita illa & approbata confessione  
desiuisse, falsumque esse, se hac in parte modum excessisse.

P R A E F A T I O.

4  
 Ac tamen si ego quoque, quod ad me priuatim attinet, inde usque ab eo tempore, quo primum per Dei gratiam ex Papatu emersi, hanc Carissimi parentis mei Confessionem semper piam, Christianam, & in Verbo Dei fundatam deprehendi; Inprimis verò tunc, cum in iam dictis Augustanis Comitibus, ut pium decebat filium, Carissimo parenti meo adessem, atque Biblia & Augustanam Confessionem Electoribus, aliisque Principibus Confessionis illius sociis, qui coram aderant, & absentium Principum, aliorumque ordinum Legatis ipse exhiberem & proponerem; cumque ex iis carissimus meus Parens aliud quid & melius doceri, deque eo conuinci expeteret, nec tamen quisquam inueniretur, qui vel tantillum contra ipsius Confessionem in medium proferret; in agnita veritate animus meus magis magisque confirmatus fuit; atque hoc ipsum postea non corde tantum & ore, verum etiam vna cum Generosis & Nobilibus, aliisque piis & fortibus viris, non sine summo vite & capitis periculo, bis toti mundo abunde demonstravi & planum feci: tamen parimodo diuulgatum audiui, me quoque ab hac carissimi mei parentis, & mea Confessione, si non prorsus defecerim, saltem in ea probanda aliquantò factum esse remissiore & languidiore.

Quare cum Carissimus meus parens, absente Illustrissimo Principe Palatino Ludouico, nunc Electore, domino & fratre meo carissimo, vno circiter mense ante mortem, huc me euocatum apud se retinuerit: atque ita ego assidue ipsi ad vltimum usque eius Spiritum adfuerim, ex eoque intellexerim, ipsum supradictam, & iam ante editam Confessionem, sua ipsius manu composuisse, & in Testamentum suum inserendam curasse; praeterea cum etiam ad extremum usque eius Spiritum audierim & viderim, ipsum mente sana, integrisque sensibus, & constanter in ea perseuerasse, & sic in Christo feliciter obdormiuisse; cumque deinceps quoque, post aduentum carissimi Domini & fratris mei Testamentum,

PRAEFATIO

Testamento, quod prorsus integrum & illasum, testibusque, subscriptione, & sigillis accuratè & fideliter munitum erat, cuius etiam singulis paginis sua ipsius manu carissimus meus parens subscripserat, de communi consilio & consensu, iam resignato, non tantum iam saepe nominatam ipsius Confessionem in eo inuenerimus, verum etiam Executores Testamenti illius, designati & constituti simus, nobisque vigore & auctoritate diuini & immutabilis mandati iniunctum sit & impositum, vt modo grauissimam Dei iram & offensionem, aeternasque & temporarias poenas vitare & effugere velimus, hanc patris nostri confessionem tueri, defendere, & propagare non desistamus: haec, inquam, cum ita sint, ego salua conscientia, & aliis etiam grauissimis iustissimisque de causis, diutius intermittere non potui, quin ad asserendam veritatem, de iis, quae supra memoratae sunt, rebus, publicum verumque hoc ipso perhiberem testimonium, & Confessionem, hanc vt ea totidem verbis, in carissimi patris mei testamento descripta & inserta extat, typis imprimendam diuulgandamque curarem, vt ea etiam, id quod debita grauissima, gratissimaque & extremae voluntatis ipsius executio postulat, tandem non Electoribus tantum (id quod carissimo meo Domino ac fratri, praecipue mandatum est) verum etiam superstitionibus subditis suis, consiliariis, praefectis, & in primis Academiae Heidelbergensi, scholarum & Ecclesiarum ministris, toti denique posteritati, & sine exceptione omnibus hominibus, quemadmodum disertis verbis in Testamento hoc cauetur, rite innotesceret, atque hoc modo quisque hinc certo, firmiter, ac solide indubitatèque cognosceret, carissimum parentem meum, in nulla alia confessione, nec in vlla falsa damnataque opinione, sed in Confessione immotae veritatis Catholicae nostrae & antiquae Christianae fidei, ex hac calamitosa vita in aeternam requiem pie, vt Christianum hominem decet, commigrasse. In hac confessione, vt pote quae super veram petram

6

## PRAEFATIO.

Christum Iesum Seruatorem nostrum, eiusque verbum, tanquam  
 vnicum & immotum fundamentum exstructa est, cum ego quo-  
 que per Dei gratiam, ad extremum vsque vite terminum con-  
 stanter perseverare decreuerim, Deum optimum maximum pre-  
 cor, vt me, & vnà mecum, omnes in Christo fratres, qui eiusdem  
 corporis membra sumus, contrà tam varios, ac cum veritate &  
 inter se pugnantis errores, prò dolor, in Religione à nonnullis  
 inquietis & turbulentiis hominibus excitatos, & in ecclesias in-  
 uectos, clementer tuèatur, atque constanter & sincerè in agnita  
 & confessa veritate conseruet, in quibuscunque calamitatibus  
 & tentationibus consoletur & confirmet, & vniuersæ ecclesie  
 Christianæ tandem aliquando in hac extrema mundi senecta men-  
 tem ac oculos aperiat, quò omnes omni ex parte, nequaquam ho-  
 minum auctoritatem & priuatos affectus respiciamus, sed soli  
 Dei verbo, quod est vera & nunquam fallens conscientie no-  
 stræ & fidei, & fraternæ Christianæque ac debitæ chari-  
 tatis regula, inter nos mutuò  
 locum demus.

SEQUEN-



# SEQVENTIA

## DICTA AC SENTENTIAS

PAVLO ANTE PIVM EIVS ET FE-

licem obitum, Carissimus meus parens, posteaquam

testatus esset, se in priore illa sua, quam semper pro-

fessus sit, Confessione constanter persistere, placi-

dè ac tranquillè, integris sensibus, ita vt faci-

lè à quouis intelligi posset, pro-

locutus est.

### I. DICTVM PAVLI

#### 1. Timoth. 1.

*Fidus est hic sermo, & modis omnibus dignus, quem amplectamur, Christum Iesum venisse in mundum, vt peccatores seruet, quorum prius sum ego.*

#### II.

#### Adeos, qui ipsi adstabant.

*Satis iam, satis diu vixi vobis; tempus est, vt mibi quoq; tandem aliquando viuam.*

#### III.

*Euocet me ad se clementissimus Pater, quando cunq; ei visum fuerit, ego profectò hilari letaq; in Christo Domino fruor nitorq; conscientia, cui ex animo seruiui, & cuius beneficio, mibi hoc videre contigit, vt in meis Ecclesijs & Scholis subditi mei ab hominum auctoritate abducti ad solum Christum adducerentur.*

#### IIII.

#### 2. Timoth. 4.

*Certamen præclarum decertavi, cursum consummavi, fidem seruavi; quod superest, reposita est mibi iustitiæ corona.*

3  
S E Q V I T V R

N V N C I P S A F I D E I

ILLVSTRISSIMI PRIN-

cipis Confessio.

IN NOMINE SANCTÆ INDIVIDVÆ  
*Trinitatis, Dei Patris, Filij, & Spiritus sancti, Amen.*



GO FRIDERICVS DEI GRATIA  
Comes Palatinus ad Rhenum, Sacri  
Romani Imperij Archidapifer & Ele-  
ctor, Dux Bauariæ, &c. Agnosco & hoc  
scripto ad omnes testatum facio, Prin-  
cipio, cum ante omnia ex verbo Dei  
edoctus sim, æternam & temporariam salutem, pa-  
cem, quietē, concordia, felicē statū omniū Imperiorū,  
politiarum, Magistratum simul & subditorum, inde  
suam originem ducere, incrementumquē capere, &  
constanter conseruari, si Deus, eiusquē sacrosanctū  
verbum in precio habeatur promoueat; omnes-  
quē actiones & deliberationes huius vitæ ad illud,  
tanquam ad veram, certamquē & nunquam fallen-  
tem normam, exigantur ac dirigantur; id quod etiam  
ethnici, licet vera verbi diuini cognitione destituti,  
tamen ex insita à natura luce, aliquo modo viderunt  
& agnouerūt; itemquē hanc rationem declarandi su-  
premam voluntatem, quæ Testamentum vocatur, ex  
eo ab initio profluxisse, & præcipuē à veteribus illis  
Patriarchis, alijsquē pijs hominibus, in hunc finem in-  
stitutam esse, vt suis liberis, hæredibus & posteritati  
certum



## CONFESSIO.

91

certum firmumquè post se relinquerent testimoni-  
um, ex quo posteri non tantùm certò commonefice-  
rent ac discerent, quæ nam maiorum suorum fuisset  
Religio ac fides, quam illi ex verbo Dei & publicis il-  
lustribusque patefactionibus accepissent, in qua eti-  
am iidem piè sanctèque vixissent, & à Deo clementer  
ac paternè conseruati, defensi, & tandem mortui es-  
sent, verum etiam eò magis mouerentur, & quasi  
obstringerentur ac obligarentur ad hoc, vt carissimo-  
rū suorū parentum pijs vestigijs insisterēt, eorū exem-  
pla imitarentur, & suæ commissos fidei subditos, in  
eadem illa Religione constanter conseruarent, si mo-  
dò parem cum maioribus suis & temporariam & æter-  
nam benedictionem à Deo optimo maximo exspe-  
ctarent, eaque frui ac recreari vellent; quod ex postre-  
mis verbis & testamento sanctissimi Regis Dauidis,  
aliorumquè Patriarcharum liquidò perspicitur, cùm  
filium suum Salomonem ita alloquitur: Ego ab eo per  
viam vniuersæ terræ: confortare, & esto vir, Et custodi  
custodiam Iehouæ, vt ambules in vijs eius, & custodi-  
as decreta eius, præcepta eius, & iudicia eius, atque te-  
stimonia eius, sicut scriptum est in lege Moseh, vt pro-  
spera reddas, quæcunque feceris, & omnia, ad quæ te  
verteris, vt cõfirmet Iehouah verbum suum, quod lo-  
cutus est mihi, dicendo; Si custodierint filij tui viam  
suam, ambulando coram me in veritate, in toto corde  
suo, & in tota anima sua, dicendo inquam, Non ab-  
scindetur tibi vir de folio Israël: hæc cùm ita sint, te-  
statū, in quū, facio, me quoq; vt piū decet & Dei aman-  
tem Electorem, cui meritò, in declaranda extrema  
sua voluntate, rerum æternarum & nunquam interi-

B

turarum, quàm temporariarum & periturarū, quæ ex prioribus illis emanant & consequuntur, potior maiorquè cura esse debet, ad gloriam omnipotentis Dei, ad meam ipsius solandam conscientiam, ad edendum perpetuum testimonium ac documentum Christianæ fidei, denique ad patefaciendam fidelem & exoptimo profectam animo commune factionem meorum mihi carissimorum filiorum, heredum, successorum, totius posteritatis, & fidelium meorum subditorum, atquè ad eò omnium eorum, ad quos hæc peruenient, in mea hac paterna Dispositione, Testamento, & extrema voluntate, vt certa eius solidaque & firma exstaret notitia, meam de Religione & fide veram constantemquè confessionem edere voluisse: Idquè eò maiore cura ac studio, quòd extremis hisce temporibus varij errores & de Religione contentiones ab inquietis hominibus exsuscitentur, qui non minus mihi, quàm alijs, in gubernatione mea, plurimum negotij & molestiæ exhibuerunt, turbarumquè & distractionum in ecclesijs auctores exstiterunt, & bonis quibusdam ac simplicibus hominibus persuadere sunt conati, me falsa, nescio qua, opinione in Religione esse imbutum, vt hoc pacto ex hac nostra confessione non modò clarè & euidenter appareret, eam non nisi super veram petram, Christum Iesum seruatorem nostrum, & eius verbum esse exstructam, verum etiam carissimi mei liberi tantò redderentur alacriores & animosiores, ad constanter quoque perseuerandum in hac mea Christiana fide, nec se vllis insultibus, & turbulentis periculis procellis ac tempestatibus, quarum ego, Deo sit gratia, hætenus plurimas grauissimasquè,

toto

CONFESSIO.

ii

toto meæ gubernationis curriculo, auxiliante Deo sustinui ac superaui, ab hac fide abduci paterentur, aut in suæ vocationis officio, & veræ huius, Christianæ quæ religionis propagatione, remissiores, timidiores, aut negligentiores efficerentur, quemadmodum ipse quoque, quod ad me priuatim attinet, nihilò secius nec segnus, quàm hæctenus feci, in hac ipsa, quam agnosco & profiteor, veritate, fretus gratia & auxilio Dei omnipotentis, ad extremum vsquè vitæ meæ halitum persistere & perdurare certò decreui. Primum itaque omnium, & in genere, confiteor sincero constantiq; animo, me firmiter credere omnibus ijs, quæ in sacra prophetarum, & Apostolorum doctrina & scriptis patrefacta, comprehensa, tradita, testimonijs confirmata & fundata sunt, prorsus ita, quemadmodum Ecclesia temporibus Apostolorum, præcipua Christianæ doctrinæ capita, in Christiana nostra fide, quod Symbolum Apostolorum vocant, comprehendit, & quemadmodum postea in Symbolo Niceno & Athanasij, prioris illius Apostolicæ fidei seu Symboli, vera explicatio fideliter est proposita.

Hoc est præcipuum illud fundamentum, super quod ego vnà cum alijs omnibus orthodoxis, qui ante me fuerunt & iam sunt, & post me futuri sunt, fidem meam extruxi: per quam etiam certò spero ac confido salutem me consecuturum æternam, iuxta Athanasij dictum in suo symbolo, Quicumque vult saluus esse, ante omnia opus est, vt teneat catholicam fidem.

Ac quoniam Confessio illa fidei Christianæ, quæ nostra ætate, anno 1530. Imperatori Carolo V. Au-

gustæ publicè est exhibitæ, & quæ huic annexa est, Apologia, ex Prophetarum & Apostolorum doctrina, & iam dictis symbolis, tanquam brevis quædam summa, pro conditione illius temporis, desumpta est & excerpta, & ipsa sese ad doctrinam Propheticam & Apostolicam refert, ut pote ad vnicum & omni exceptione maius fundamentum, incorruptumquè certum ac constantem canonem, cui soli insistit ac innititur: ego quoque illam ipsam, postquam ad agnitionem cælestis veritatis perueni amplexus sum, mequè ei addictum esse semper professus sum, & vna cum alijs eiusdem confessionis Electoribus & Principibus, ad conseruandam Christianam piamquè concordiam, in vero ac genuino intellectu, & addita ea, quam modò dixi, declaratione, cõfessionis huic subscripsi, eamquè obsignaui, & ut ea, quæ huic essent cõsentanea, in scholis & ecclesijs meæ Ditionis docerentur, mandaui & edixi, quemadmodum etiamnum illam ipsam, & quidquid cum diuina Prophetarum & Apostolorum doctrina congruit; in primis autem editum à me & publicatum Catechismum & ecclesiasticam ordinationem, in quibus omnes doctrinæ Christianæ partes perspicuè & dilucidè, aptoquè ordine comprehenduntur, & quibusdam in locis copiosius explicantur. amplector & approbo.

Ut autem animi mei sententiam plenius vberiusquè declarem ac aperiam, & carissimi Liberi nostri, totaquè posteritas, denique omnes homines summam cognoscant, quæ sit mea de singulis Articulis fides ac sententia, & nemo post obitum meum, me vllius falsæ opinionis & sectæ insimulare possit, quemadmodum

CONFESSIO.

13

dum ea hodie est corrupti huius seculi, multorumq; irrequiëtorum hominum consuetudo & natura, qui ipsam quoquë Augustanam Confessionem, eiusdemquë Apologiam, in longè aliam atquë diuersam sententiam, quàm ipsa confessionis verba iuxta præscriptum verbi Dei, ad quod se illa refert, & cui tanquam fundamento innititur, admittant, in quibusdam capitibus detorquent. Credo itaque, amplector & confiteor ex toto corde meo, articulos antiquæ nostræ & catholicæ fidei Christianæ, qui sic habent:

*Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ: Et in Iesum Christum, filium eius vnicum, Dominum nostrum, qui conceptus est è spiritu sancto, natus ex Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus, descēdit ad inferos, tertia die resurrexit ex mortuis, ascendit in cælum, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis, inde venturus ad iudicandum viuos & mortuos. Credo in spiritum sanctum, credo sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam, Amen.*

*Hoc est,*

Credo & confiteor æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, qui cælum & terram, cum omnibus, quæ in iis sunt, ex nihilo creauit, eadem adhuc æterno suo consilio & prouidentia sustentare ac gubernare, eundemque ob nullum meum meritum, nullamue dignitatē, sed ex mera gratia & p̄ diuina sua prouidentia, propter vnigenitum & vnicè carum Filium suum Iesum Christum, meum quoque Deum & Patrem esse, in quem fiduciam meam ita reposui, vt non dubitem, quin nihilominus deinceps, quàm huc vsque fecit, prouisurus sit omnibus tum animo, tum corpori

FIDEI

meo necessariis; & quemadmodum hactenus omnia mala, quæ ipse per Diabolum, eiusque Sponsam mundum mihi immisit, in bonum conuertit, ita quoque & nihilominus deinceps eadem beneuolentia paternòq; fauore me sit complexurus, cum & facere id possit, ut omnipotens Deus, & facere quoque id velit, ut fidus Pater.

Secundò credo & confiteor, Iesum Christum omnipotentis Dei Filium, ab æterno à Patre genitum æqualem & vnicum cum Patre & Spiritu sancto esse Deum, eundemque eo tempore, quod in æterno Dei consilio erat definitum, in Maria semper virgine, per Spiritum sanctum, conceptum esse, nostram carnem assumisse, & in hunc mundum esse natum, atque omnia hæc idè subiisse, ut Rex noster & sumus sacerdos, quamobrem etiam Christus nominatur, Mediator item noster & frater esset, in gratiam nos reciperet, & cælesti suo Patri, ut fidus Iesus & seruator, reconciliaret: quomodo etiam credo, eum hanc ipsam ob causam, sub præside Pontio Pilato contumeliosissimam mortem perpeffum esse, ut nos ab æterna morte, quæ nobis alioquin sine fine incubuisset, liberaret, & à maledictione, quæ per primorum parentum nostrorum Adami & Heuæ peccatum, in omnes homines hæreditaria successione peruaserat, assereret.

Credo etiam & confiteor, hoc Domini nostri Iesu Christi in cruce peractum sacrificium, adè esse efficax, ut illius ipsius virtute, per operationem Spiritus sancti, vetus noster homo cum ipso crucifigatur, perimatur, & sepeliatur, ne prauæ carnis cupiditates in nobis amplius regnent ac dominantur, sed ut  
nos

## CONFESSIO.

15

**nos ipsos ei in hostiam gratitudinis offeramus.**

Credo etiam, sepultum, ideòq; verè mortuum esse, imò etiam ad inferos descendisse, vt in grauissimis tentationibus nostris, confirmare nos possemus, Dominum nostrum Iesum Christum per ineffabiles suos angores, cruciatus & terrores, quos in ipsa etiam anima sua in cruce, & antea perpeffus est, nos ab infernalibus angoribus & pœnis liberasse, ita vtiam nequè infernus, neq; Satan salutem nostram quidquam incommodare possint.

Credo etiam ex animo, eum tertia die ex mortuis resurrexisse, ac certus sum, primùm, per suam resurrectionem ipsum deuicisse mortem, vt nos iustitiæ, quã nobis acerba sua passione & morte acquisuerat, participes facere posset; deinde, nos etiam nunc, ipsius virtute ac efficacia ad nouam vitam excitari; postremò, Christi resurrectionem certissimum nobis esse pignus, quemadmodum ipse primus ex mortuis resurrexit, ita nos quoq;, supremo illo die ad vitam æternam resurrecturos.

Adhæc credo etiam, Christum Dominum verè & visibiliter, quod ad glorificatam eius naturam humanam attinet, sursum in cœlum ascendisse, & ibidem ad dexteram patris sui celestis consedisse, hoc est, celestis & diuina gloria, se, tanquam totius suæ ecclesiæ, omniũ sanctorum Angelorum & hominum caput ac defensorem declarare, atque inde etiam, visibiliter & verè, sicut sursum ascendit, nouissima die, rursus deorsum in nubes descensurum esse in gloria patris sui, ad iudicandum viuos & mortuos.

Sed nihilo secius etiam hoc scio, Dominum nostrum  
Iesum

Iesum Christum, vt pote verum hominem & Deum, quamuis secundum naturam suam humanam nunc non amplius in terris, sed in cœlo sit, tamen secundum suam diuinitatem, maiestatem, gratiã & Spiritũ, nunquam à nobis discedere. Nec quidquam me mouet, quod sint qui dicant, duas in Christo naturas diuelli ac separari, nisi natura humana vbique non minus atq; diuina sit præsens. Nam cum diuinitas comprehendi non queat, & omni loco præsens sit; necessariò consequitur, esse eam quidem extra naturam humanam, à se assumtam, sed nihilominus tamen ei personaliter vnitam permanere, haud aliter, atque diuina natura cœlum nunquam reliquit, etiam eo ipso tempore, quo Christus in Mariæ virginis vtero concipiebatur. Atq; hæc omnia, quæcunq; Christus Dominus passus est & peregit, credo in nostram salutem esse acta, ipsumquè se nobis eo ipso donasse & proprium dicasse. Inprimis hoc me maximè consolatur, quòd certus sum & planè confirmatus, carnem nostram iam in cœlis esse, & inde seruatorem nostrum Christum nobis suum sanctum Spiritum, mutui pignoris loco mittere, cuius virtute quæramus ea, quæ sunt sursum, vbi Christus sedet ad dextram Dei patris, non autem ea, quæ in terris sunt.

Tertiò credo & confiteor, Spiritum sanctum cum patre, & filio, verum illum æternum, & vnicum Deum esse; deinde, eum nobis datum, vt nos per verã fidem, Christi, & omnium eius beneficiorum participes faciat, noister paracletus sit & in æternum permaneat.

De catholica Christi ecclesia credo filium Dei, sibi ex vniuerso genere humano, cætum ad vitam æternam electum



## CONFESSIO.

17

electum, per Spiritum sanctum & verbum, in vnitatem fidei ab initio mundi vsq; ad finem collegisse, colligere adhuc, tueri ac seruare, & me quoque eius cætus viuum membrum esse & perpetuò mansurum.

De sanctorum communione credo & confiteor, me cum vniuersis & singulis credentibus, vtpote Christi membris, ipsius atque omnium eius bonorum, communionem habere; idcòque fateor, me omnia, quæ Deus in me contulit, dona, in commodum & salutem aliorum eiusdem mecum corporis membrorū promtè & alacriter conferre debere.

Præterea credo & confiteor, Deum patrem propter plenissimam Christi satisfactionem, nunquam vllorum meorum peccatorum, atq; illius etiam prauitatis, cum qua mihi per omnem vitam pugnandum est, meminisse, sed contrà potiùs me iustitia Christi ex gratia donare velle, ita, vt Dei iudicium metuere nequaquam habeam necesse.

De carnis resurrectione credo, & confiteor, non tantum animam meam, cum è corpore meo, per temporariam mortem excesserit, è vestigio ad Christum caput suum assumptum, verùm etiam hanc ipsam meam carnem potentia Christi rursus cum anima mea vnitum, & glorioso Christi corpori conformatum iri.

De vita æterna credo & confiteor, quemadmodum nunc initia æternæ lætitiæ in corde meo perfen-  
tisco, ita etiam futurum esse, vt post hanc vitã plena perfectaquè beatitudine potiar, quam nullius oculus vidit, nullius auris audiuit, nec vllius hominis cogitatio comprehendere vnquam potuit, idque vt in

C



illa vita Deum in omnem æternitatem, laudem ac celebrem.

Hoc faxit Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus, vnicus, æternus, & verus Deus, Amen.

Porro cùm multi me, licet iniuria, in hanc suspensionem adducere sint conati, quasi de sacrosanctis Sacramentis non ita sentiam & credam, vt de ijs sentire & credere Christianos decet: superiori huic meæ Fidei confessioni, meam de hoc quoque capite simplicem illam quidem, sed tamen scripturæ consentaneam confessionem adiungere volui.

Quare credo & confiteor cùm ore & calamo, tum etiam corde & animo, omnia tam veteris, quam Noui Testamenti Sacramenta ab ipso Deo ordinata & instituta esse in hunc finem, vt cuncta in cruentum illud Christi sacrificium, semel in cruce peractum, quasi digitum intendant; quemadmodum sine omni controuersia, omnes Patriarchæ & pij in veteri Testamento, hoc solo per fidem se sunt consolati, cùm agnos suos aliasque pecudes offerrent, futurum nimirum, vt semen Mulieris, qui est Dominus Iesus Christus, pari modo mactetur, & pro totius mundi peccatis plenam perfectamque satisfactionem præstet. Itaque sacrosancta Sacramenta sunt, sicut inuentus ante multa secula in hanc vsque diem in Scholis edocta est, & adhuc docetur, sacræ rei symbola & inuisibilis gratiæ, Dei scilicet in Christo, visibilia signa, seu sigilla, per quæ confirmamur & certi reddimur de ijs rebus, quæ alioquin nobis in verbo Dei à Deo ipso, & sanctis eius Prophetis & Apostolis promittuntur,

Quapro-

CONFESSIO.

19

Quapropter sentio & firmiter certoque credo, hac in re Deum imbecillitatis humani generis præcipuè rationem habuisse, cum ipse, vt qui solus sit κατὰ ἰσχυρότητα, optimè sciret, quàm arduum ac difficile sit humanæ naturæ, soli nudoque Dei verbo, & prædicationi Euangelij fidem adhibere. Itaque ei etiam huiusmodi nobis res ante oculos proponere placuit, quæ, quoniam quotidie eas tractamus, nobis sunt familiariter notæ, vt per eas fidem nostram excitaret & confirmaret, quò tantò citius & facilius verbo prædicato credere possemus. Id quod ex hac, à rebus mundanis desumpta similitudine facile & perspicuè declaratur & intelligitur; Quocienscunque ab imperatore aliquo, Rege, aliòue aliquo magno Principe ac Domino litteras aut diploma aliquod impetramus, licet illis ipsis Princeps propria manu subscripserit, tamen subscriptione hac nobis non satisfat, nisi Sigillum eis appendatur: quod vbi litteris huiusmodi appensum est, tùm demum in ijs acquiescimus, & affirmare verè audemus, En mihi tanti imperatoris, Regisue literas & sigillum, quibus mihi hoc illudue promittit & addicit.

Ad vsum verò ipsum Sacramentorum quod attinet, credo & confiteor, sacra noui Testamenti Sacramenta, Baptismum nimirum, & Domini nostri Iesu Christi cænam, à Christo ideò instituta esse, vt Christiani ijs vtantur, eaque in summo habeant pretio & honore, minimèque contemnant, vt quæ non notæ tantùm & Symbola quædam sint Christianorum, & publicæ in conspectu Dei & hominum, professiones fœderis & gratiæ Dei, verum etiam primùm &

C 2

precipue

præcipuè certa sigilla & testimonia voluntatis & gratiæ Dei erga nos. Quare cum infantes nobis nascuntur, nequaquam, quod quidam faciunt, ad octauum, nonum, decimumuè annum adolescere eos sinemus, donec mediocri aliqua præditi sint intelligentia & iudicio, & tum demum eos baptizandos curabimus, sed potius, multoque magis hoc nos solabitur, quod Christus ad discipulos suos ait Marci 10. Sinite puerulos venire ad me, talium enim est regnum cœlorum. Si ergo regnum cœlorum est paruulorum, id quod extra omnem positum est controuersiam, quid est, quod dubitemus, quin etiam ipsi in foedere illo, quod Deus cum sancto Abrahamo, omnium fidelium patre pepigit, includantur & comprehendantur? Quamobrem nulla omnino ratione à sacro Baptismo sunt arcendi & excludendi.

De virtute & efficacia sacri Baptismi credo & confiteor, liberos nostros, quia in hoc foedere, vt iam dictum, etiam ipsi vnà includuntur, cum in Articulis antiquæ nostræ & catholicæ Christianæ fidei baptizantur, sicut in ijs ipsis educari & institui debent, etiam cruentæ mortis Domini nostri Iesû Christi, omniumque eius bonorum, quæ ille morte sua acquisiuit, vnà participes fieri, idque hoc modo, quod quemadmodum externum sigillum, sacrosanctum Sacramentum nempe elementarem aquam à ministro verbi diuini, extrinsecus in corpore recipiunt, ita quoque simul à Christo ipso, effuso illius sanguine, in animabus suis, hoc est internè baptizantur, & per Spiritum sanctum de integro, seu in nouas creaturas regenerantur. Quæ admodum enim Elementaris aqua, sacrum scilicet in  
Baptismo

Baptismo Symbolum, non est ipse Christi sanguis, neque ipse Spiritus sanctus; ita quoque, & nihilo magis spiritus sanctus aut sanguis Christi est in Sacramento, elementari videlicet aqua. Ac quanquam Elementaris illa aqua, sua virtute & efficacia, nihil præstare potest amplius, quàm vt externè corpus mundet & abluat, ad animam verò ipsam non pertingit; tamen certum est, animam sanguine Christi, intrinsecus ad vitam æternam purgari; & quemadmodum ecclesiæ minister illud, ita Christus hoc præstat & peragit, vt testatur Ioannes Baptista, Matth. 3. Ego baptizo aqua ad resipiscentiam; is verò, qui ponè me venit, validior me est, cuius non sum dignus, qui soleas portem: ipse vos baptizabit spiritu sancto & igni. Pari ratione ex dicto Pauli 1. Corint. 10. demonstrari potest, eodem prorsus modo Israëlitas nube & mari baptizatos esse, quo modo etiam Manna sunt pasti & alii, & aqua, quæ ex Petra profluebat, ipsis in potum data est.

Sic, quod ad sacrosanctam Domini nostri Iesu Christi cænam attinet, vltro & lubenter, vnà cum omnibus Christianis credo & confiteor, Christum cænam hanc primum instituisse, & cum discipulis suis celebrasse; ideoque eam minimè à Christianis contemnendam, sed potiùs in summo precio & honore habendam esse. Nam hanc distributionem & fruitionem panis & vini, in hunc finem Christus instituit, vt in hac actione, sui recordatio, mortisque eius annunciatio fiat, donec veniat, hoc est, vt in hac actione, principiò Christiani commonefiant & certi reddantur, ac deinde hac ipsa quoque actione in conspectu Dei & hominum, hoc summum beneficium agnoscant & præ-

dicent, quòd corpus Christi pro ipsis in mortem traditum, & sanguis illius pro ipsis effusus sit in remissionem peccatorum, & quòd hæc ipsa, si quidem vera fide ea amplectantur, verè eis fiant spiritualis cibus & potus vitæ æternæ, haud aliter atq; visibilis panis & vinū sunt cibus & potus temporariæ huius vitæ; quandoquidem Christo, tanquam membra capiti suo, & palmites viti suæ, per Spiritum ipsius incorporantur, atque ita propter eum & per eundem, remissionem peccatorum, iustitiam, & vitam æternam consequuntur.

Credo etiam, nos hodie nullam aliam habere Coenā, quàm eam ipsam, quam Christus in postrema sua Coena ipse instituit, & cùm discipulis suis celebravit, multoq; minus ullam aliam neq; habere neq; celebrare debere, nisi contumaciter & petulanter contra mandatum & institutionem Christi velimus agere.

Iam verò negari nullo modo potest, & necesse habent id fateri omnes, quotquot de industria & pertinaciter contendere nolunt, Christum discipulis suis nequaquam naturale & essentialiter corpus suum, quatenus id mensæ assidebat, & nondum erat crucifixum, ore corporeo edendum, & multò minus sanguinem suum, quatenus adhuc in eius corpore continebatur, & nondum erat effusus, bibendum dedisse, aut ita edi bibique mandasse (Quemadmodum hodie horribilem in ecclesia Christi distractionem hinc excitari videmus, quòd quidam corpus & sanguinem Christi in coena naturaliter, essentialiter, ore corporeo edere ac bibere velint; & quicumque hoc credere & confiteri recusant, idque salva & integra conscientia credere nequeunt, ij vt Sacramentarij, sacri

facri legi & blasphemi proclamantur, & conuicijs proscinduntur) sed multò potius corpus suum, quatenus postridie cruci affigendum, & sanguinem suum, quatenus postridie primùm effundendus erat, edi & bibi iussisse, id quod Christi verba satis superque declarant: Neque verò quidquam dubito, quin iam ante discipuli in vrbe Capernaum, abundè edocti fuerint, quanam edendi Corporis Christi, & bibendi eius sanguinis ratio esset, ita vt ne minima quidem vllius dubitationis causa ipsis esset relicta, sicut & Petrus ibidem præclaram edens confessionem inquit, Domine, ad quem abibimus? verba vitæ æternæ habes; & nos credimus & cognouimus, te esse Christum illum Filium Dei viuentis.

Ex qua Petri confessione, quam non suo tantùm, verum etiam omnium reliquorum Apostolorum nomine edidit, liquidò perspicitur, ipsum ex illa in vrbe Capernaum habita concione, tantum didicisse & percepisse, vt nullam neque ipse, neque cæteri vndecim Apostoli, causam habuerint interrogandi, quidnam sibi Christus hac sua institutione voluerit.

Quare credo & confiteor, in sacra Christi Domini nostri cœna, quotiescunque illa secundùm ipsius institutionem celebratur, credentibus (quibus solis cœna hæc est instituta) non minus, quàm discipulis in prima cœna, verum, traditumque & crucifixum Christi corpus vnà cum omnibus eius cælestibus thesauris & donis, quæ sua morte, suis acquisiuit, vt sit famelicæ ipsorum animæ cibus, & suum sanguinem, quem in remissionem peccatorum effudit, vt sit potus, à Christo ipso porrigi & distribui.

Ac

Ac quemadmodum tunc distantia temporis, quòd scilicet corpus suum nondum tradiderat crucifigendum, neque sanguinem suum effuderat, nihil impediuit, quo minus discipuli impediuit, iuxta Christi mandatum, verum illius, naturale, humanum corpus, quod ex Maria semper virgine natum, & pro illis tradendum, non traditum erat, & verum eius sanguinem, qui pro illis effundendus, non effusus erat, æquè atque si iam pro illis corpus traditum & sanguis effusus esset, ederent ac biberent: ita quoque me & omnes credentes nihil impedit distantia loci, quòd minus vnà cum Apostolis iuxta Domini institutionem, corpus illud Christi edamus, & sanguinem eius bibamus, etiam si Christus illo ipso naturali suo corpore, nunc non sit amplius in terris, sed in cœlo ad dextram patris sui cœlestis sedeat, vnde venturus est ad iudicandum viuos & mortuos, id quod articuli fidei nostræ Christianæ docent & demonstrant.

Nihil hîc opusest quæstione hac, An Christus illo ipso suo naturali corpore, corporaliter in terris, non minus apud nos in nostra cœna, quàm in prima cœna apud discipulos suos fuit, præsens esse possit; sed sufficit, scire nos ex eius verbo, ipsum suo illo corpore, neque visibili nequè inuisibili, neque comprehensibili, neque incomprehensibili modo, in terris esse velle, & tamen nihilo minus, tanquam omnipotens Dei Filius & semper & vbique sua gratia & Spiritu sancto præstò est suis, in primis autem in sacra sua cœna, ybi ipse & cibi præbitor & cibus ipse est.

Et sicut ecclesiæ minister sacrosancta sacramenta, sigilla & signa, sacrum scilicet panem & poculum Domini



CONFESSIO.

225

mini distribuit; ita Christus se ipsum suis credentibus in cibum & potum non temporariae huius vitae, sicut alioqui sacra illa Symbola, vinum & panis, sunt verus cibus & potus hominum; Sed multò potius famelicæ & sitienti, hoc est, agnitione peccatorum suorum, & sensu iræ Dei, consternatæ & percussæ ipsorum animæ in cibum potumque æternæ & beatæ vitæ distribuit.

Ac si fortè quæstio hæc incidat, Quî potest, quæso, Christus nos illo ipso suo corpore cibare & pascere, cum ipse corpore suo sit suprâ in Cœlis, nos autè hîc in terris: respondeo cum S. Ambrosio; Quamvis pedibus nostris hîc in terris simus: capite tamen suprâ in cœlis sumus: & cum S. Paulo, Per vnum Spiritum in vnum corpus baptizati sumus, & omnes in vnum spiritum sumus potati.

In hac mea confessione refero me ad sacram ac diuinam veteris & noui Testamenti scripturam, & in conspectu Dei, cui nemo mentiri potest, hoc ipso liberè & rotundè profiteor, in hac me esse citra vllam dubitationem sententia, si de sacrosanctis sacramentis aliter, atque dixi, crederem & sentirem, fore, vt, quantum in me esset, Articulos antiquæ nostræ & veræ Christianæ fidei euerterem, atque ita coram tribunali Christi in nouissimo illo die consistere non possem. Cum enim in articulis indubitatae fidei nostræ Christianæ confiteamur, vnicam tantùm esse, æternam, omnipotentem, incomprehensibilem Diuinitatem in tribus personis, quæ omnes res alias creauerit, gubernet, & conseruet; efficitur necessariò, non, vt quidam asserunt, humanam naturam Filij

D

Dei, Domini nostri Iesu Christi, sed hominem Christum, iuxta diuinam suam naturam, omnipotentem, ubiq; præsentem & efficacem esse.

Ad hæc si æternus ac vnigenitus Dei Filius per operationem Spiritus sancti, ex virgine assumsit & in omnem æternitatem retinet in fundamentum & solatium nostræ salutis, veram, nostræque animæ & corpori, in omnibus naturæ proprietatibus similem naturam humanã; sequitur hinc profectò, ipsum & post & ante suam resurrectionem, in cœlos Ascensionem, & glorificationem, ad dextram sui patris secundum illam ipsam suam humanam naturam, esse visibilem, comprehensibilem, & vno tempore vno in loco, vbi-  
cunq; ei visum est, præsentem, quemadmodum ipse de se testatur Lucæ 24. Si item hic Iesus Christus solus est vnicus noster Seruator, Mediator, summus sacerdos, Rex & Propheta, Dominus & caput suæ Ecclesiæ; certè Ecclesiæ ministri suis manibus, neq; spiritu & sanguine Christi, sed externa tantum aqua nos baptizare; neq; etiam corpore & sanguine Christi, sed visibili tantum pane & vino nos cibare & potare possunt; sui verò spiritus, corporis, & sanguinis ipse nos Christus in remissionem peccatorum & vitam æternã participes facit.

Si verè Christus pro nobis passus, verè crucifixus, & mortuus est; profectò tempore passionis suæ humana eius natura non fuit diuinitati eius, omnipotentia & gloria par & equalis, nec in omnibus cæli & terræ locis, & absq; infirmitate, passione, & morte.

Si mortuum eius corpus verè repositum fuit in sepulchrum; certè non iam antè in eo, nec post sepulturam, extra illud, ubique viuum fuit.

Si Christi

Si Christus verè, nostro bono, descendit ad inferos; profectò illo ipso tempore nondum ad dexteram patris sui in felicitate & maiestate cælesti confederat.

Si verè ex sepulchro à mortuis resurrexit; sequitur extra omnem controuersiam, nec animam eius iam ante in corpore, nec corpus iam ante extra sepulchrū fuisse, nec postea in eodem mansisse.

Si verè sursum ascendit in cælos, ibidémque sedet, vt verus homo, ad dextram patris sui, concluditur nimirum hinc certò, ipsum secundum suam humanitatem, non iam ante illic fuisse, neque post ascensionem in cælos, infrà inuisibilem mansisse, aut vbi que præsentem & incomprehensibilem factum esse, sed visibilem se & comprehensibilem in cælesti domicilio exhibere in oculis sanctorum suorum Angelorum & hominum, imò non posse etiã nunc sine manifesta & horrèda idolatria, in pane cænæ, aut in vilo alio loco, quã suprà in cælis, à nobis per precès & inuocationē nostrā queri, & tãquã corporaliter præsentē adorari & honorari.

Si verè deorsum ex cælo in nubes venturus est, quemadmodum verè sursum ascendit; certè non est iam ante hïc inuisibiliter infrà, neque etiam vbi que seu visibiliter seu inuisibiliter, sed vno in loco, in nubibus, sua humanitate erit, & se iudicem viuorum & mortuorum declarabit.

Si Spiritum suum sanctum in corda electorum suorum mittit, vt sibi catholicam Ecclesiam ex toto genere humano ab initio mundi vsq; ad eius finē colligat, eamq; vni<sup>9</sup> eiusdémq; cõmunionis capitis sui Christi, & omnium suorū cælestiū bonorū faciat participem; certè non fit huiusmodi sanctorum communio per

visibilem aliquem aut inuisibilem corporis Christi in nostra corpora ingressum, sed per inhabitationem & operationem Spiritus Christi in ipso & in nobis: nos quoque, qui ad cœnam Domini accedimus, nullam aliam communionem & inhabitationem Christi in nobis habere poterimus, quàm eam ipsam, quam omnes credentes, qui inde vsque ab initio mundi sunt salui facti, habuerunt, aut qui ad cœnam peruenire non possunt, hodie habent, & in aeternũ retinent; immò etiam Christus nõ aliter se in sua cœna nobis communicabit & fruendum dabit, quàm quatenus & quomodo, se etiam post vsum cœnæ, non in hac tantum vita, verùm in futura quoque, in omni aeternitate in nobis vult manere & inhabitare. Certum enim est & indubitatum, ipsum nobis se fruendum dare, nequaquam vt quàm primum à nobis rursus discedat, id quod non sine summa filij Dei contumelia, in papatu confictum fuit, sed vt in aeternum in nobis & nobiscum maneat.

Si remissionem omnium peccatorum nostrorum nobis meritus est & impetrauit per solam eanque acerbissimam passionem & mortem crucis, modò nos hanc vera fide amplectentes tanquam satisfactionem pro peccatis nostris, nobis applicemus; necesse est, ipsum habuisse non Deificatum aliquod, & vbiq; p̄sens, sed verum, humanum, visibile, palpabile, & tunc temporis mortale corpus, nostrisq; corporibus per omnia, excepto peccato, simile; aliò qui per ipsum à peccatis nostris liberati non essemus, Heb. 2. Si hæc nostra caro ex morte resurrectione, & vitæ aeternæ per Christum particeps futura est; certè

opor-

oportet, vt caput nostrum Iesus Christus veram suam humanitatem non in diuinam, spirituales, inuisibilem, vbique præsentem naturam conuerterit, sed similem atque adeò eandem nobiscum humanam naturam in æternum retineat, quò nos perpetuò eius fratres, eius membra, ei, non secus ac palmites viti, insiti, eius caro & eius ossa esse & permanere possimus.

Denique si communio Christi, omniumque eius bonorum & beneficiorum, iustitiæ & vitæ æternæ, nobis non nisi per mortem Christi in cruce est acquisita, nec aliter nobis ea contingit, quàm per veram fidem à Spiritu sancto in cordibus nostris accensam: certum est & indubiè verum, neque sacramentorū vsus, neque ullum aliud seu internum seu externum opus, posse ex opere operato, Christi ipsius, & eius beneficiorum nos reddere participes: sed sacramenta esse diuina & veracià signa ac sigilla, atque ita externa quædam Spiritus sancti instrumēta, quibus fidem nostram stabilit & confirmat, & ad vnicum Christi in cruce pro nobis peractum sacrificium deducit.

Nulla etiam alia cōmunio Christi nobis contingere potest, cū verbo visibili seu promissioni Sacramentorum fidem adhibemus, quàm ea sit, cū prædicato & audito Euangelij verbo credimus; Ideòque licet visibilibus signis etiam impij & increduli, ad suam condemnationem abuti possint, oportet tamen, vt inuisibilia & fidei nostræ per visibiles illas res oblata & representata cælestia dona & beneficia, solis credentibus propria sint & maneat.

Atque in hac veræ fidei Christianæ confessione, & nunc, & quouis tempore, animam meam, quandocun-

FIDEI

que illa ex hoc corpore emigrabit, commendo sanctæ & indiuiduæ Trinitati, Deo patri, eius creatori; Deo filio, liberatori, Mediatori & vnico seruatori meo Iesu Christo; & Deo Spiritui sancto, vero. consolatori meo, & ardentissimo desiderio cordis mei, summa cum religione ac demissione precor, vt vnicus meus liberator & seruator, benigna ac clementi, saluificaque manu sua me protegere, fidem meam adaugere, mihi que integris adhuc sensibus, pium, salutarem, & rationis compotē exitum ex hac vita largiri, & vbi primū ex hoc terrestri corpore, & ærumnosa hac & luctuosa miseriariū valle discessero, me in æternam quietē, latitiā, felicitatem, & patris sui regnum, quod is mihi & omnibus credentibus, per acerbissimam suam mortem, & pretiosi sanguinis sui effusionem acquisiuit, præparauit, & promisit, in sanctorum suorum & omnium credentium coetum & congregationem, tutò transferre & suscipere velit.

Ac quem admodum ego in Christiana hac mea confessione certò scio me seruatum iri, & hilari vultu ante tribunal Christi compariturum; ita etiam hoc ipso moneo, hortor, & rogo amanter, vt pium & fidum decet parentem, carissimos meos liberos, heredes & successores; & à meæ diuinitus commissis fidei subditis, mihi que deuinctis & obstrictis Consiliarijs, Præfectis, & in primis ab Academia mea, scholarumque & ecclesiarum ministris, cuiuscunque sint status & condicionis, & eorumdem posteris, hoc ipso clementer peto, atque ad eò hoc Carissimis meis liberis, heredibusque, & alijs iam dictis mando, constituo & iniungo, vigore, & auctoritate immutabilis mandati diuini.

## CONFESSIO.

37

diuini, in quo Deus de Abrahamo inquit: Noui,  
 quòd præcipiet filijs suis, & domui suæ post se, vt cu-  
 stodiant viam Iehouæ; faciantque iustitiam & iudici-  
 um, vt venire faciat Iehouáh super Abraham, quod  
 loquutus est super eum: Denique summo studio ac  
 zelo postulo, vt non ipsi tantùm priuatim in hac, quæ  
 sola saluos nos facit, agnita & confessa sancti Euan-  
 gelij veritate, & dicta Fidei Confessione, per quam no-  
 stra ætate, horrendæ illæ Papatus tenebræ, ex Dei in-  
 effabili gratia & misericordia discussæ sunt & fugatæ,  
 constanter ad vltimum vsque vitæ suæ terminum per-  
 seuerent, eandemque in conspectu Dei & totius  
 mundi intrepidè & fortiter confiteantur, nec vn-  
 quam ab ea desciscant, atque ita, id quod ex toto pe-  
 ctore opto & precor, æternæ felicitatis mecum par-  
 ticipes fiant; verùm etiam, vt imprimis & ante omnia,  
 quemadmodum pijs & Christianis Principibus &  
 Magistratibus conuenit, quibus defensio & propa-  
 gatio agnitæ veritatis diuinæ, à Deo optimo maxi-  
 mo, tanquam summum & præcipuum ipsorum offi-  
 cium, seriò demandata est & imposita, in id singulari  
 cura, studio, opera, fide ac diligentia incumbant, vt  
 sacrosanctum & saluificum Euangelium, & vnica, ir-  
 refutabilis, incorruptibilis, & perpetuò durans Dei  
 veritas, iuxta Propheticam & Apostolicam scriptu-  
 ram, apud omnes ipsorum subditos, & ipsis addictos,  
 purè, sincerè, incorruptè doceatur atque prædicetur,  
 & per Dei benedictionem continua successione ad  
 posteros propagetur, transmittatur, ijsque quasi here-  
 ditario iure tradatur; vt & ipsi amplissimæ illius pro-  
 missionis Domini & seruatoris nostri Iesu Christi red-

dantur participes; Querite primò regnum Dei, &  
 omnia adijcientur vobis: vtque mandati & consola-  
 tionis diuinæ optimo & fortissimo illi Iosua datae  
 memores sint, cum Deus inquit; Conforta te, & ro-  
 bora te valdè, vt custodias & facias secundùm omnem  
 legem, quam præcepit tibi Moseh seruus meus; Ne  
 declines ab eo ad dextram, aut ad sinistram, vt pro-  
 sperè agas in omnibus, ad quæ perrexeris. Non rece-  
 dat liber legis iste ab ore tuo, sed mediteris in eo, die  
 ac nocte, vt custodias & facias secundùm omne, quod  
 scriptum est in eo.

Secundò inter omnes constat semper ita vsu ve-  
 nisse, vt, quotiescunque verbum Dei aliquo in loco,  
 & eius sacramenta purè, sincerè, integrè, & absque  
 vlla obscuratione ac corruptela publicè docerentur,  
 administrarentur, & proponerentur, & Deus sibi per  
 saluificum suum verbum ecclesiam colligeret; quàm-  
 primùm hostis ille nominis Christiani, diuus & dete-  
 standus Sathan, partim sua admiscendo Zizania, par-  
 tim summa vi vehementissimè se ei opponeret, idq;  
 oppugnaret, & summo conatu ac molimine in eo ela-  
 boraret, vt accensam hanc cælestem lucem, non ex-  
 terna tantùm violentia, verùm etiam excitandis om-  
 nis generis, & scandali plenis dissensionibus, rixis, &  
 falsis, mendacibusque opinionibus extingueret, op-  
 primeret, ac euerteret, quorum vtrumque in mea gu-  
 bernatione mihi non sine periculo accidisse, omni-  
 bus publicè constat, præcipuè verò, exortos esse quos-  
 dam inquietos homines, qui ex mera ambitione &  
 concepto odio, licet melius essent edocti, aliterque  
 sentirent (de quo ex suis ipsorum libris in lucem edi-  
 tis con-



tis conuinci possunt ) Christianam meam inque Dei verbo fundatā & publicè typis editā Ecclesiasticam ordinationem & Christianæ Religionis Catechesin, tanquam falsum aliquod dogma continentem, calumniari, traducere, cauillari, & apud multos rudes ac simplices suspectam reddere, summis viribus conati sunt; quæ tamen omnia, per gratiam & auxilium omnipotentis Dei, quia me ab illa nunquam fallente verbi diuini Regula, neque abduci, neque vlla externa vi ac potentia absterreri sum passus, sed in meæ vocationis munere fideliter, sincerèque & strenuè ac constanter perrexi, tandem mirabili prorsus modo, & cum summo, eoque manifesto, temporario & æterno emolumento, benedictione, & felicitate meorum subditorum, qui debita obedientia agnitam veritatem amplexi sunt, sustinui ac superaui, & illis ipsis, qui, vt iam dixi, Christianæ meæ Catechesi, & ecclesiasticæ ordinationi sese opposuerant, ex verbo Dei, os obturauit; vnde etiam factum est, vt plurimorum oculis mentibusque apertis, ad agnitionem sinceræ puræque doctrinæ, verumque intellectum Christianæ nostræ religionis sint adducti; hoc ergo, cum ita sit, rogo, moneo, hortor Carissimos meos filios, irémque Consiliarios, Præfectos, Ministros, subditos, & præcipuè ac ante omnes Academiam meam, & ecclesiam Heidelbergensem, cum Diaboli & eius organorum fraudes & insidiæ, ideòque omnium piorum pericula quotidie magis magisque augeantur, vt ipsi quoque considerata & expensa periculorum magnitudine, tantò maiore fide, cura & diligentia hoc prouideant currentque, & hanc rem, modò grauissimam Dei iram &

D                      s                      offen-

offensionem, æternasq; & temporarias pœnas effugere, & suam ipsorum, totiusq; posteritatis æternam salutem promouere cupiant, summo studio commendatâ sibi habeant, nec se in agnita & confessa veritate per eas, quæ hodie in orbem Christianum inuectæ sunt, varias & scandali plenas rixas, & contentiones, humanam auctoritatem, potentiam, & vanas mundi comminationes turbari, nec ab ea absterreri sinant, sed tantò magis vigilent, & attendant, & in id sedulò incumbant, vt veritas diuina ijs in locis nostrarum Ditionum, vbi iam ante publicè ea tradita est & recepta, constanter conseruetur & propagetur; vbi verò propter obiecta à Satana impedimenta, aliasque difficultates & remoras, nondum illa plenè est cognita, nec satis altas egit radices, ibidem etiam, per legitima, piaq; ac Christiana media, ad æternam ac temporariam meorum subditorū, aliorumq; felicitatem introducatur, proponatur, & vnà propagetur.

Tertiò ac præcipuè moneo & hortor carissimos filios meos, vt sibi quàm diligentissimè à turbulentis tam Ecclesiarum, quàm scholarum ministris caueant, qui nunc in Religionis & Fidei negocijs, omnis generis contentiones, logomachias, & exitiales condemnationes in pias ecclesias & Scholas, quæ tamen in fundamento & præcipuis Christianæ Religionis capitibus consentiunt, & salutem suam vnà nobiscum in vnicum nostrum seruatorem Iesum Christum collocant, ex mera ambitione & peruerso Zelo, ac prætextu Ministerij sui, per quod Spiritum sanctum mundum arguere videri volunt, idq; in dicta causa, nec sine scandalo introducere, & non minus, atque in execran-

do

do Papatu factitatū est, tam in Magistratum, quam in  
subditorū conscientias dominari, & sibi nouū quen-  
dam Primatum passim erigere ac constituere conan-  
tur; Ex qua re ianē non tantū & in politica, & in Ec-  
clesiastica gubernatione distractiones & exulceratio-  
nes animorum, & vtriusque illius gubernationis per-  
turbatio & interitus sequitur, verū etiam Papæ &  
eius satellitio præbetur occasio veram nostram Chri-  
stianamque religionem ferro, flamma, exulsijs, alijsq;  
innumeris supplicijs persequendi, suamque tyranni-  
dem hoc modo stabiliendi; quæ res, quantas & quàm  
miserandas pepererit distractiones, miseras, & cala-  
mitates, etiam nostra hac ætate, nimis, prò dolor, mul-  
ta in Electorum aliorumque Germaniæ Principum  
prouincijs, nec non apud exteras & vicinas Gentes  
exstant exempla, ex quibus meritò omnes Christiani  
Principes, Ecclesiæ & Scholæ, exemplum, sibi quòd ex  
vsu sit, capere, ideoque summopere à turbulentis il-  
lis hominibus, & pacis ac tranquillitatis publicæ ini-  
micis sibi cauere, nec permittere, vt ab illis occupen-  
tur, & vel inter sese, vel contra alios exacerbentur, aut  
à se inuicē diuellantur ac distrahantur, sed multò po-  
tius, eiusmodi homines vitare & fugere, & si nulla  
emendationis in illis spes appareat, prorsus à se remo-  
uere, nec se horrendæ illius & execrandæ persecutio-  
nis, & indignæ innocentium hominum cædis, quæ in  
Imperio Germanico, & apud alias exteras Nationes  
ex his minimè Christianis condemnationibus con-  
secutz sunt, socios & participes facere debebant, si-  
cuti hac de re inter me aliosque Electores, & Princi-  
pes, non semel ex iam dictis, alijsque pluribus pijs  
& gra-


& grauibus causis conuênit, sic tamen, vt hac ratione nihil pijs ecclesiarum ministris, quod attinet ad debitam eorum, quæ quotidie offeruntur, vitiorum reprehensionem & correctionem, & errorum, Christiana adhibita moderatione & æquitate, ex verbo Dei desumptam refutationem, quæ non ad destructionem, sed ad ædificationem & emendationem dirigenda & instituenda est, derogaretur.


*IMPRESSVM, Anno 1577*



DEI  
...  
...  
...  
...  
...  
...  
...  
...  
...  
...

1174, Ann 1577





67

+

12

90

E  
85

8 7 8 5 8



8 7 8 8 8